

eversæ sunt. Abraham vero commisit viam suam Deo et discessit a Loth; mox vero apparens ei Deus assignavit ei Chananæam regionem longe meliorem et majorem: *Omnem terram inquit, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.* Considerabat Loth initium viæ tantum non exitum, ideo in electione sua deceptus est et in societatem pessimam incidit. Abraham Dei directionem expectabat, ideoque secure et bene habitabat. Qui non expectat ducem viæ quam ignorat, et proprio ductu progreditur, sibi ipsi relinquitur: et qui in electione status os Domini non interrogat, sed proprium ductum sequitur, merito ab ipso deseritur et errare permittitur. Contra vero qui Dei directionem petit et sequitur, semper securum ad Deum recursum habet et quasi de jure auxilia sibi ad illam necessaria exigere potest. Propterea cum S. David sedulo orandum: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas; tunc non confundar, etc.*

IV. Quia licet omnes agri alicujus domini melius frumentum ferre possent, mavult tamen dominus quosdam agros vilioribus conserere; quia omni genere frumenti ac proinde etiam vilioribus indiget. Similiter et Deus ad Ecclesiæ suæ conservationem variis indiget statibus, vilioribus, dignioribus, ut alter alteri serviat, alter alterum foveat et juvet, hocque requirit Ecclesiæ et totius communitatis tranquillitas, vinculum et subordinatio. Ut enim robor exercitus consistit in eo ut singuli stationem suam servent, malintque occidi quam eam deserere; ita et robor Ecclesiæ quæ Cant. VI. *Terribilis ut castrorum acies ordinata* dicitur ex statuum coordinatione et conservatione. Dum Moyses levat manus et orat cum Hur et Aarone, Josue vero cum populo pugnat, ambo vincunt, Exod. XVII. Inde notum illud: *Tu supplex ora* (clerice), *tu protege* (miles), *tuque labora* (agricola.) Comparatur etiam Ecclesia corpori humano ab apostolo ad Eph. IV. dicente: *Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione, qui vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, etc.* In corpore humano pedes sunt servi, manus operarii, stomachus coquus, pulmo calefactor, dentes molitores, lingua procurator, oculus gubernator, sensus externi mercatores, interni milites. Igitur ut omnia corporis membra sibi invicem serviant, itaque invicem conservant, quia quodlibet eorum suo munere fungitur; licet aliud sit infimum et sordido ministerio addictum ut pedes, aliud vero supremum et nobilissimi muneris, ut oculi (quia hoc pacto et illis et toti corpori prospicitur): ita

etiam fieri necesse in corpore Christi mystico scilicet Ecclesia. Contra vero ut morbi et corporis dolores oriuntur ex aliqua membrorum disjunctione eo quod non sint in suis locis, nec officio suo pro cuiusque exigentia fungantur: ita et turbatio in Ecclesia vel republica oritur ex defectu unionis membrorum, vel quod aliqua officium suum non faciant, vel unum alterius officium usurpet. Rursum oculus supra pedem non se extollit, nec post ob muneris sui vilitatem indignatur, quia nec oculus sine pede, nec pes sine oculo multum valet. Unde I. Cor. XII. dicitur: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Ita faciendum et nobis. Gaudemus quod corporis Christi et Ecclesiæ membra simus, etiamsi pedes et infima: quemadmodum et Theodosius imp. dicebat, gaudere se magis quod sit Ecclesiæ membrum, quam quod sit imperator: proinde electurus potius esset pes in Ecclesia quam imperator extra Ecclesiam. Erit aliquando tempus cum non tantum caput, oculi, etc. sed etiam pedes in cælum inferentur et magis quam sol radiabunt: quis tunc non optaret vel esse minimus pedis digitus in corpore Christi?

V. Quia ager viliore semine consitus, vilitatem seminis bonitate et quantitate compensare potest et hoc modo perfectionem agri tritici adæquare vel etiam superare. Ita enim usu venire etiam videmus in artificibus ut multi artifices propter artis suæ excellentiam celeberrimi in mundo fiant et honorentur a principibus plusquam nobiles aut doctores. Tametsi enim status perfectior multum juvat ad perfectionem majorem consequendam; fit tamen sæpenumero, ut qui in statu imperfectiori est, superet aliquem, qui in perfectiori, ita aves aliquæ in humili loco (uti struthio) inter frutices nidificant: *Stellio* contra manibus nititur et moratur in domibus regum, ut ait Sapiens, Proverb. XXX. In quem locum D. Greg. lib. VI. moral. c. V. ait: « Plerumque enim aves, quas ad volatum penna sublevat in vepribus resident, et stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique dum negligentia torpent, in pravis actionibus remanent: et simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis levat. » Hæc Gregor. Igitur revera multi implumes, ut ita dicam, altius repunt suumque in cælo nidum collocant, quam alii alati volent. Ratio est quia regnum cælorum non datur scientiæ vel statui vel ingenio, etc. sed virtuti et innocentiae, quæ in quovis statu a quocumque obtineri po-

test. Unde Luc. XVII. quærentibus Pharisæis de regno Dei, respondit Dominus: *Regnum Dei intra vos est, q. d. ut exponit Tertul. l. IV. contra Marcionem cap. XXXV. et Theoph. hic, in vestra potestate est, et in quovis reperitur, neque longa ad eam peregrinatione opus est: id unum requiritur, ut audiat et faciat Dei voluntatem; sic enim regnum cælorum facietis vestrum. Quis autem nescit ad virtutem æqualem omnibus accessum esse? Existimabat aliquando S. Petrus regnum Dei intra gentiles esse non posse, nec ipsos fieri Deo acceptos. Ad abolendam hanc opinionem illius apposuit ei dormienti Dominus in mappa comedendum omne genus quadrupedum, serpentem et avium; qui cum abhorrens recusaret immunda comedere, statim audiit: *Quod Deus purificavit, tu ne immundum dixeris; sicque misit eum ad centurionem gentilem, baptizandum tamquam virum Deo acceptum.* Unde postmodum ait Petrus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi, Actor. X.* En igitur centurio invenit intra se regnum Dei, bene operando; et non tantum non ad illud proficisci debuit, sed potius apostolus ad eum missus est. Similiter intra se invenerunt regnum Dei ex plebeio statu S. Servulus mendicus, S. Gutmannus sartor, S. Gualvardus clitelarius, S. Eligius aurifaber, S. Severus textor, S. Mennigus fullo, SS. Simeon Wallericus et Sozon pastores, S. Zacharias sutor. Quemadmodum et ille, qui montem precibus jactavit in mare in lib. exemp. dist. IX. ex. CXLV. apud Dauroit. Etenim: « An. 623. Calippus rex Tartarorum conatus est extirpare Christianos de regno suo, quia Christiani mixti habitabant inter paganos. Unus autem de consiliariis suis consuluit, ut omnes vinceret ex evangelio. Nam Christus Deus Christianorum locutus est: Si quis Christianus non hæsitaverit, et dixerit monti huic tollere et mittere in mare, fit ei. Qui convocavit omnes Christianos quæsit si verbum Christi et evangelium verum sit? Respondentibus omnibus, quod sit, statim comminatus est eis, quod nisi infra decem dies hoc facto ostenderent, omnes perirent. Tunc episcopus et sacerdotes convocarunt Christianos et indicto jejunio per triduum et orationibus intendentes rogaverunt Dominum Jesum Christum, ut suis fidelibus succurreret: et revelatum est cuidam episcopo devoto, quod sutor monoculus dignus esset proferre illa verba et populum Christi de periculo eruere. Qui ex humilitate renuit, et se peccatorem ecce asseruit; tamen ex obedientiæ præcepto se submitit. Et Christiani ex una parte steterunt et crucem Christi secum habuerunt, et Callippus*

ex alia parte cum populo suo, qui fuerunt parati ad occidendum Christianos. Oravit autem sutor flexis genibus, ne Christus tot Christianos necari permetteret et præcepit monti, ut se tolleret; quod et statim factum est: quo viso rex baptizatus est et plures cum eo; et sic fides roborata est et augmentata. »

CONCIO V.

MODUS AUDIENDI VERBUM DEI.

I. Prævia oratione. — II. Prævia compunctione. — III. Media attentione. — IV. Sedula memoracione. — V. Adhibita ruminacione. — VI. Cum gratiarum actione.

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Luc. VIII.

Magna differentia cernitur in hodierno evangelio circa semina in agrum jacta. Alia enim perierunt; et horum aliud, quia nec radices egit, sed cum in viam cecidisset, statim vel a volucris raptum, vel ab hominibus concalcatum est; aliud radices quidem, sed non altas egit, quia in petram incidit et humore destitutum, brevi exaruit; aliud germinare cepit, et in culmum se erigere, sed simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Triplex ad hæc diversitas apparet in semine utiliter jacto. Aliud enim fecit fructum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. Unde vero dicat aliquis, tam diversa seminum conditio? Non equidem a semicante, qui in omnibus idem et unus fuit. Neque etiam a semine, quod fuit uniforme. Restat ergo, ut a terra, in quam jacta semina, varietas hæc proveniat. Qua quidem re docemur, fructum verbi Dei pendere magna ex parte a dispositione auditoris. Qualiscumque enim sit prædicator, modo legitime missus; qualiscumque sit prædicatio, modo verbo Dei consona, parum id ad fructum refert. Plurimum autem refert qualis sit auditor. Hinc ergo, auditores, necessarium esse duxi, methodum audiendi verbi divini præscribere: quam duplici metaphora discemus, seminis nimirum in terram jacti, et refectionis corporalis.

I. Ante sementem præparatur terra ad recipiendum semen, prævia aratione. Ita ante concionem præparanda anima, præmissa oratione, ut detur tam auditori cor carneum et docile, mens collecta et illustrata, aures apertæ, quam ipsi concionatori lingua erudita et soluta,

memoria prompta, imprimis autem fervor et loquendi efficacia, ut doceat utilia, loquatur ad cor, non ad pompam, etc. Potest quidem concionator a seipso verba dare et aures corporis implere; sed non item aures cordis aperire, ut auditor ea credat, acceptet, et sibi applicet. Hoc enim dare Dei solius est; ut patet Act. XVI. in Lydia purpuraria, cujus cor, non Paulus, sed Dominus aperuisse dicitur, ut intenderet iis, quæ dicebantur a Paulo. Hæc igitur causa est, cur concionis initio oratio præmittatur, communi omnium consuetudine. Nam, ut ait S. Chrysostomus, de incomprehens. Dei nat. contra Anomæos, hom. III. « Nihil aut parum fructus capi ex homilia potest, nisi oratio adjungatur. Porro sermoni oratio debet anteire; sic apostoli dicunt: (Actor. VI.) Nos in oratione et sermonis doctrina perseverabimus. Sic Paulus facit, cum in exordiis suarum epistolarum orat, ut perinde quasi lumen lucernæ, lux ipsa orationis regat sermonem ac dirigat. » Sic ille. Nimirum quia volucres cœli, dæmones, insidiantur verbo Dei, idcirco id muniri et servari oratione debet; ne vel ab ejus auditu impediamur, vel eo percepto rursus spoliemur. Ac propterea sicut volucres spectri alicujus imagine a frugibus arcentur: ita nos initio sermonis cruce fronti inscribimus ad fugandas tartari volucres. Præmittitur oratio Dominica, qua panem imprimis verbi divini postulemus; adjungitur salutatio angelica, ut quemadmodum, angelico nuntio mediante, Christus in utero Virginis conceptus est: ita et mediante nuntio concionatoris, (qui tunc angeli officium gerit) Christus generetur in cordibus auditorum: atque ita Deiparæ intervenientibus precibus et ipsi auditores concipiant Christum in animo, quem ipsa concepit in utero.

Idem agere solent omnes pii fideles ante refectioem corporis, præmittendo scilicet orationem, seu mensæ benedictionem.

II. Ante sementem purgatur ager a zizaniis, tribulis et spinis, ejiciuntur lapides, comminuuntur cespites. Ita si cum fructu audiri concio debeat, compunctio cordis præeat et dolor de peccatis. Tametsi enim et peccatores audire Dei verbum possunt ac debent: multo tamen majore fructu audient, corde prius contrito: quemadmodum et ager prius aratro proscissus et a sentibus purgatus longe majorem segetem dabit, quam qui spinis oppletus est. Hinc Jerem. c. IV. dicitur: *Novate vobis novale et nolite serere super spinas*: et Jacobi I. *Abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum*. Nam uti cineres madidi melius imbibunt aquam, quam sicci: ita verbum Dei

utilius et suavius recipitur in corde gratia Dei rigato et compuncto, quam in arido et impenitente, quod Dei gratiæ resistit. Idem ostendi potest vulgaribus exemplis. *Quis pretiosum unguentum*, inquit S. Chrysostomus, homil. III. de Saul et David, *in vas aliquod infundi parat, non prius ipso emundato et a sordibus purgato*? Quis jubens sibi infundi vinum, vitrum prius elui non jubet? Quis dolium vino impleturus, id non prius emundat? Sane quemadmodum vinum in vitrum in vitro sordido, non eluto minus splendet ac sapit; ita verbum Dei cordi impuro infusum. Propterea igitur ad ingressum concionatoris consuetudo habet, ut ad vocem illam concionatoris, *Amen*, unusquisque pectus suum tundat; quo admonetur actum contritionis elicere, quo magis fiat idoneus ad verbum Dei audiendum.

Idem ostendi potest ex more accumbendi ad mensam. Prius enim solemus abluere manus, quam ad eam considereamus. Concio autem animæ refectio et mensa spiritualis est. Atque in hujus rei significationem jussi sunt Israelitæ prius lavare vestimenta, quam audirent legis promulgationem, Exod. XIX.

III. Projicitur semen in agrum, non in viam publicam, nec in cloacam, etc. ita verbum Dei recipi in corde magna attentione debet, vigilet animus, sileat lingua. « Si enim cum regis leguntur litteræ, (ait S. Chrysost. hom. XIV. in Gen.) est silentium, omnium aures arriguntur, ut sciant quæ regiis litteris manifestentur; et quisquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo est: multo magis cum magno timore et tremore adstandum et altum silentium habendum et pellendæ cogitationes turbulentæ, ut verba Dei intelligere possimus, quo Deus approbata obedientia nostra majoribus nos muneribus remunerare dignetur. » Sic Chrysostomus. S. Augustinus, l. L. homil. hom. XXVI. tantam requirit diligentiam in audiendo verbo Dei, quanta requiritur et adhibetur ad eucharistiam, ne quid de ea in terram cadat, dicens: « Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. » Tum subdit: « Vellem tamen scire si ab illa hora, qua verbum Dei prædicare cœperit, semper pretiosissimas gemmas et inares vel annulos aureos erogare vellemus, utrum stare et accipere vellent filiæ vestræ? Sine ulla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offerentur, acciperent. Nos ergo quia ornamenta corporalia offerre nec possumus nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed non est justum, ut spiritualia ministrantes, superflui judicemur: qui enim verbum Dei liben-

ter audit in aures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. » Hæc Augustinus. Dilatandum igitur cor et magno appetitu hauriendum Dei verbum, velut pretiosissimum et apprimè necessarium; quomodo ab infirmis audiuntur consilia boni et probati medici. Quanta attentione, quanto studio et silentio audiretur medicus, qui in magna fide assereret se non modo contra omnes morbos etiam incurabiles remedia habere, verum etiam ad divitias comparandas, hostium quorumcumque insidias aliæque infortunia declinanda? At hoc præstat animæ verbum Dei. Agnovit hoc Magdalena, et propterea ad pedes Domini tam affixa hæsit, quia ægram se cognovit et medicum cœlestem nacta erat. Multi quidem sunt, qui verbum Dei libenter audiunt, sed parum aut nihil inde proficiunt, quia non audiunt ea mente, ut illud sibi applicent, cum ægros se esse nesciant. Contingit his, quod edituis, qui perpetuo adsunt sacerdotum functionibus, missis, baptismis, cantui, etc. nihil tamen horum ab illis unquam addiscunt aut exercere queunt (licet facultas eis daretur) quia his non adsunt, ut eorum aliquid discant, sed tantum ut necessaria parent. Commune multis vitium est, ut quæ in concionibus audiunt, non sibi, sed aliis dicta existiment; hinc dicere consueverunt: En quam bene vicinus meus tactus est! Quam ad vivum hodie depictus a concionatore! Similes hi sunt structoribus, qui aliis edulia parant et partiuntur convivantibus, sibi quæ ipsi nihil reservant. Dicunt enim: O si coram fuisset meus vicinus! Quam præclare depictus fuisset! Quam hoc quadrat in nostros superiores! Quam vere tacti sunt! Convivas vos esse cupio, auditores, non structores, non coquos, aut ministros, ne audiatis illud: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Denique, attendendum non tam ad artificium vel eloquentiam concionatoris, quam ad spiritum et rem ipsam. Poma carpenda sunt, folia relinquenda. Negligenda vel certe modice tantum delibanda sunt condimenta, quæ quandoque in gratiam auditorum et memoriæ juvandæ adhibentur, cibi largiter sumendi sunt. Alioquin qui condimenta potius, quam solidos cibos considerat, prodit se habere stomachum destructum.

Hæc quæ dixi, observamus etiam in refectioem corporis. Sedemus enim ad mensam, non stamus, non ambulamus: (quemadmodum et ad concionem) ut quieto corpore cibum aptius sumamus. Ad hæc seduli sumus in colligendis et sumendis panum micis: ac si quæ in terram cadunt, illico tollimus: et peccatum crederemus eas in terra pedibus terendas relinquere. At

nonne plus est panis animæ quam corporis!

IV. Occa adhibita sepelitur quasi in agro semen et absconditur, ne rapiatur a volucris. Ita verbum Dei auditum memoriæ commendandum, ne alioquin mox oblivioni traditum tartaris avibus in prædam cedat. Pica, ut scribit Plinius, l. X. c. XXXIII. cum quæri ab homine nidum suum advertit, ova sua alio transfert, ne prole sua fraudetur. Verbum Dei nidulus ovorum est, cui insidiatur dæmon: sedulo igitur custodiendum et alta mente reponendum est, ne per oblivionem nobis tollatur, et ita bonorum propositorum ova nunquam excludantur. Ita sane facere consuevit David, qui Psal. CXVIII. ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Vitrum, in quo aqua distillata servatur, sedulo obstruitur, ne aquæ vis omnis evaporet. Idem debetur verbo Dei, ne vigorem suum exserat.

Verum objiciet aliquis, multa nimis pro concione dici, proinde nec fieri posse, ut quis ea omnia memoria retineat. Cui respondeo minime requiri, ut quis omnia observet et memoria commendet: sufficit unicuique seligere sibi ea, quibus ipse indiget. Quemadmodum enim in convivio multa et varia apponuntur fercula, nemo tamen compellitur vesci de omnibus; sed potest ea quisque, quæ sibi placent, sumere, cætera aliis relinquere: ita cum concionator varios habeat auditores, varias illis apponit doctrinas: non ut unusquisque omnes illas observet, sed ut puncta aliquot necessaria vel commoda sibi capiat, cætera aliis, quibus forte alia conducunt, relinquat.

Idem discere possumus ex refectioem corporali. Ea enim peracta claudit sese stomachus ad concoquendos cibos, quod sanitatis signum est; quemadmodum e contra signum afflictæ valetudinis, cibum e stomacho rejicere. « Cibum enim mentis est sermo Dei, (inquit S. Gregorius, in hom. super hod. evangel.) et quasi acceptus cibum stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in mente non retinetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. » Sane in hod. evang. illi tantum fructum afferunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent.

V. Maceratur et moritur quodammodo in agro semen: ita verbum Dei auditum diligenti consideratione expendendum est, quomodo executioni mandetur. Judæis certe præcepit Deus ut ligarent verba legis suæ in manibus suis, et meditentur in ea, cum in domo sederent, cum in itinere ambularent, quin et cum irent cubitum ac cum surgerent, item ut ea non solum pone-